

rum, cum sit ponderosius aqua, eam penetrat & sursum agit, aqua denique cum vino gravior sit, hoc è loco suo abigit. Porrò, quò gravior est liquor, eò citius subjacentem liquorem transit, ac supra se agit, & contrà quò levior est, eò signius se præcipitat, hinc liquores ejusdem gravitatis sibi invicem non cedunt, quum viribus sint æquales. Et hæc est causa cur & tam subito aquam sursum pellat, lac verò difficilior, item, quod lac & vinum aquam, non nisi interjectâ aliqua temporis morâ ad summitatem cylindri attollere possint; mercurius enim ponderositate liquores omnes, lac aquam, hæc iterum vinum superat.

§. VII. Cum autem *Baroscopium* hoc, mercurio ad altitudinem usitatam hærente, horizontem versus reclinaveris, & ascendet, spatiumque integrum ante relictum replebit, iterumque Cylindro ad perpendiculum erecto, ad priorem terminum descendet.

§. VIII. Ratio est, quod fluida in *Libra naturali*, cujusmodi est *Baroscopium*, tantum secundum altitudinẽ sibi æquponderent: quippè, cum *Baroscopium* à perpendiculo deflectitur, altitudo ejus minuitur, aër verò hæc gaudet gravitate & pressurâ, ut ad altitudinem 31. circiter à Terra digitorum, mercurium in *Baroscopio* propellere ac sustinere possit, cum igitur superior tubi pars vacua, horizontali deflexione ad altitudinem istam redigitur, necessario vi externi aeris mercurio repleri debet, qui tamen iterum delabitur, quando ad perpendiculum dirigitur tubus, quia tantâ pressurâ & gravitate aër non pollet, ut supra prædictum terminum illum elevare possit. In causa tamen etiam est spatium illud vacuum, in superiore *Baroscopii* parte à mercurio descendendo relictum, si enim aëre dictus locus repletus esset, minus procederet hocce phænomenon, sed aër inclusus, reclinato horizontaliter tubo, ob vim suam elasticam, quâ comprimi nequit

nequit